Conditi Prussiarum regni memoriam anniversariam

die XVIII. Jan. MDCCCXXX. H. XI.

in

Auditorio maximo

celebrandam

indicunt

Prorector, Cancellarius, Director et Senatus

Academiae Albertinae.

1830



Lobeck

von Lobeck

Regiomonti,

typis academicis Hartungianis.

De Dodecatheo P. II.

Nuper quum per speciem praefandi de numero duodecim superiorum deorum commentaremur ac sermo iam ad singulos deos, qui hoc numero comprehensi sunt, progressurus esset, spatii nobis circumscripti angustiis interclusi, disputationis filum abrupimus. Id nunc data occasione redordiri libet. E testimoniis autem prius allatis patet huic augustissimo deorum concilio neque Caelum neque ullum ex eius filiis adscriptum fuisse, ne Saturnum quidem ut natu minimum ita dignitate ceteris superiorem. Nam quod Homerus duobus locis Il. XV. 36. Od. V. 184. Graecos coelum terramque iurantes inducit, veteres utriusque loci interpretes haud falli videntur quum elementa potius quam deos intelligi volunt, sicut Virgilius Aen. XII. 197. *coelum, mare, sidera iuro;* cf. Spanh. ad Plut. 129. cui similis illa apud Terentium obtestatio Adelph. V. 3. 4. *o coelum, o terra, o maria Neptuni.* Aesch. Pers. 489. *θεοὺς δέ τις τοπριν νομίζων οὐδαμοῦ τότ' εὔχετο — γαῖαν οὐρανόν τε προςκυνῶν.* Apud Sopho-

clem autem Oed. Col. 1655. Oedipus signum divinitus oblatum veneratur *γῆν τε προςκυνῶν ἅμα καὶ τὸν θεῶν Ὄλυμπον.* Deinde quod Athenaeus narrat L. V. c. 5. in pompa ab Antiocho instructa circumductas esse statuas Caeli, Telluris, Noctis, Diei, Meridiei atque Aurorae, id patet magis ad oblectationem spectantium scite inventum, quam a deorum istorum cultu publico profectum esse. Paullo gravius est Proculi testimonium (Aglaopham. T. 1. p. 503.) Athenienses antequam matrimonium inirent, Caelo et Telluri tanquam communibus omnium animantium parentibus (Porph. Abst. III. 15, 135.) facere solitos esse, sed et hoc sacrificio ambigi potest utrum popularis deus propitiatus fuerit an naturalis ille quem Caelicolae [1]) venerari crediti sunt, quemque Pacuvius Euripidem sequens aetherem interpretatur.

Hoc vide circum supraque quod complexu continet
terram, nostri caelum memorant, Graji perhibent aethera

sive ut Ennius loquitur

Hoc sublime candens, quem invocant omnes Iovem

v. Valckenar. Diatr. p. 47. et Meinekium ad Philem. Fragm. II. p. 391. Neque apud Romanos publica Caeli sacra fuisse videntur. Namque Inscriptio Sponiana Miscell. p. 91. Fabrett. Coll. Traj. p. 233. *Coelo aeterno, Terrae Matri, Mercurio Menestratori,* aliaeque consimiles, quas Marinius in Actis Fratr. Arval. T. 1. p. 23. sine ulla fraudis suspicione apponit, magis arbitrium dedicantium quam populares honores declarant. Neque obscure Tertullianus illius dei religionem Romanis denegat Apol. c. X. p. 111. (p. 12. B.) *ante Saturnum deus penes vos nemo est* [2]).

---

1) Vid. Lipsius ad Tacit. Hist. V. 5.

2) Memoratu digna sunt quae sequuntur. *Itaque neque Diodorus aut Thallus neque Cassius Severus aut Cornelius Nepos neque ullus commentator eiusmodi antiquitatum aliud quidquam quam hominem promulgarunt. Saturnus post multas expeditiones, postque attica hospitia consedit* (in Italia) *exceptus a Iano;* maxime propter illa attica hospitia parum nota hodie.

Quod ne quis Arnobii auctoritate infringi putet, ipsa eius verba proferam II. c. 71. *quis Jovem cum fratribus genuit? Genitalibus Opis adiunctus Saturnus, ut vos fertis, Coelo atque Hecate procreatus.* Id enim, ut pleraque talia, e mythologorum scholis profluxisse, non ex perennibus popularis theologiae fontibus, Hecatae mentio manifestum facit, cuius deae cultum a sacris Romanorum abfuisse, intelligitur e Ciceronis verbis Nat. Deor. II. 18. *quomodo autem potes, si Latonam deam putas, Hecaten non putare, quae matre Asteria est, sorore Latona; an haec quoque dea est? videmus enim eius aras delubraque in Graecia.* Ergo non vidit in Italia; neque vulgo Romanorum notum fuit, quod Arnobius a doctioribus accepit L. III. c. 29. *Ianum, quem ferunt Coelo atque Hecate procreatum etc.* Denique, quum de Caelo nihil amplius memoriae proditum sit, nisi a Saturno depulsum esse, id quoque a Romanis credi negat Dionysius Antiqq. II. c. 19. *οὔτε Οὐρανὸς ἐκτεμνόμενος ὑπὸ τῶν ἑαυτοῦ παίδων παρὰ Ρωμαίοις λέγεται οὔτε Κρόνος ἀφανίζων τὰς ἑαυτοῦ γονάς·* quibus non mediocriter labefactatur Buttmanni opinio ex Allegoricorum senticetis profecta, Saturnum temporis, ut nunc loquuntur, symbolum esse non solum doctorum interpretatione sed etiam populi consensu, ideoque illum credi filios devorasse, quod tempus cuncta, quae nata sunt, absumat, sive, ut graecus poeta dicit, *φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται* v. Mythologus T. II. p. 34. Si vero ista crudissima fabula a Romanis omnino publice recepta non est, quomodo dici potest, Romanos Saturni nomine vim temporis assignificasse? Verum de Buttmanni sententia paullo mox dicam, si de Polluce nonnulla addidero. Sic enim Saturni genitorem nominatum esse ferunt, a pollendo quidem, ut Fulgentius tradit Myth. I. c. 2. et Auctor Epigrammatis de planetis et eorum circulis Anthol. L. V. Ep. 45. *Pollucis proles ter denis volvitur annis;* quem si Valentem interpretamur (Cic. N. D. III. 22.) habet sane aliquam cum Acmone similitudinem, quo nomine Alcman Fragm. CXIX. coelum indefesso circumactu omnia volvens significavit, Tzetzes autem So-

lem v. Adnot. ad Aj. p. 351. Etymol. M. p. 49, 46. *Ακμων σημαίνει καὶ τὸν Οὐρανοῦ πατέρα. Καλλίμαχος* (Fragm. CXVII.) *τῷ πέρι δινήεντ' Ακμονίδην ἔβαλεν· εἴρηται δὲ ἀπὸ τῆς τοῦ οὐρανοῦ ἀκαμάτου φύσεως, τῶν θεολόγων αἰνιττομένων τὸ ἄκμητον αὐτοῦ τῆς περιφορᾶς· Τινὲς δὲ Ἄκμονα τὸν Ὠκεανόν φασι διὰ τὸ τοὺς ποταμοὺς ἀκαμάτους λέγειν τὸν ποιητὴν, Ὠκεανοῦ δὲ υἱόν τὸν Οὐρανόν.*

Hoc multo illustrius est Saturni nomen; quanquam huius quoque dei cultum quodammodo evanuisse scribit Plutarchus De Def. Oracc. c. XXI. 334. *οἷα Τυφὼν λέγεται περὶ Ὄσιριν ἐξαμαρτεῖν καὶ Κρόνος περὶ Οὐρανόν· ὧν ἀμαυρότεραι γεγόνασιν αἱ τιμαί.* Sed certe pluribus in locis publicos adeptus est honores. Athenis quidem fuit *Κρόνιον τέμενος τὸ παρὰ τὸ νῦν Ὀλύμπιον μέχρι τοῦ Μητρῴου τοῦ ἐν ἀγορᾷ* Anecd. Bekk. p. 273 quod testimonium Siebelisius non oblitus est componere cum Pausaniae verbis L. I. c. 18. *ἔστιν ἐν τῷ περιβόλῳ Ζεὺς χαλκοῦς καὶ ναὸς Κρόνου καὶ Ῥέας καὶ τέμενος ἐπίκλησιν Ὀλυμπίας·* eiusdemque dei aram a Cecrope scilicet positam ac servorum promiscua cum dominis epula commemorat Philochorus Fragm. p. 17. quam in rem Plutarchus Comici nescio cuius versus affert contra Epic. c. XVII. 110. *οἱ θεράποντες ὅταν Κρόνια δειπνῶσιν ἢ Διονύσια κατ' ἀγρὸν ἄγωσι περιιόντες, οὐκ ἂν αὐτῶν τὸν ὀλολυγμὸν ὑπομείναις — ταῦτα ποιούντων καὶ φθεγγομένων*

Τί κάθῃ, Σάκα; πίνωμεν· οὐ καὶ σιτία
πάρεστιν, ὦ δύστηνε; μὴ σαυτῷ φθόνει,
οἱ δ' εὐθὺς ἠλάλαξαν· ἐν δ' ἐκίρνατο
οἶνος, φέρων δὲ στέφανον ἀμφέθηκέ τις,
ὑμνεῖτο δ' αἰσχρῶς κλῶνα προςλαβὼν δάφνης,
ὁ Φοῖβος οὐ προςεῖτο, τὴν δ' ἐναύλιον
ὠθῶν τις ἐξεκάλεσε σύγκοιτον φίλην [3])

---

3) In his versibus nonnulla mutavi, pro *τί κάθῃ καὶ* substituto nomine ser-

ipsumque mensem Hecatombaeonem, cuius die XII. celebrata sunt Cronia v. Dem. c. Tim. p. 708. antiquitus nomen Cronii habuisse testatur Plutarchus V. Thes. c. XII. De his solemnibus loquitur Machon Athen. XIII. 381. A. *Κρονίοις ἀπιοῦσαν εἶδε τὴν Γναθαίνιον ἐξ Ἀφροδισίου τινός.* Sed quod recentiores Chronographi narrant apud Meursium de Fort. Athen. c. III. p. 20. ex quinque antiquae urbis regionibus unam *Κρόνου πάγον* denominatam fuisse, id ut auditu non absurdum ita Aristarchi istius, hominis ignoti, testimonio haud satis firmatum eodemque loco habendum videtur, quo illa de quatuor phylis, quae sub Erichthonio fuisse dicuntur narratio, Iovia, Minervia, Neptunia et Vulcania Poll. VIII. 109. Sed longe notissimus est mons Saturnius prope Olympiam, *ὁ Κρόνειος* sive *τὸ Κρόνιον*, primum a Pindaro memoratus locis pluribus, tum a Xenophonte Hell. VII. 4, 14. deinde a Dionysio Arch. I. 34. Pausania VI. 20. Plutarcho de Flum. XIX. 464. et posterioribus, quo in monte *οἱ καλούμενοι Βασίλαι* tempore aequinoctii verni sacra faciebant Paus. l. c. et Elei statis diebus festos celebrabant conventus Dionys. l. c. Montem huncce olim Olympum vocatum esse nescio quo auctore affirmet Canterus ad Lyc. v. 42. nisi forte in Scholio: *Κρόνου ὄχθον τὴν Ὀλυμπίαν· πρῶτον γὰρ Κρόνιος λόφος ἐλέγετο*, scribendum putavit *τὸν Ὄλυμπον*. Montem Elidis simpliciter memorant Pindari et Apollonii interpretes graeci, eoque nomine verticem Cronii insignitum fuisse suspicatur Vossius Epist. Myth. T. III. p. 26. Etym. M. p. 426. 16. *πρὸ τοῦ διακτήσασθαι (τὸν Δία κτήσασθαι) τὴν Ὀλυμπίαν παρὰ τῆς Γῆς αὐτὴν παρειλήφεσαν Ἥλιός τε καὶ Κρόνος· γνώρισμα δὲ τοῦ κτήματος κοινός ἐστι βωμὸς ἀμφοῖν αὐτοῖν ἐν Ὀλυμπίᾳ· σύμβολον δὲ καὶ τόδε· τοῦ μὲν ὁ Κρόνιος λόφος καλούμενος, τοῦ δὲ ἡ Ἦλις μεχρι νῦν θεοῦ.* Elei ipsi

---

vili, pro *κλῶνα πρὸς κλάδον* autem *προςλαβὼν* tum *ἃ φοῖβος οὐ προςεῖτο* vel *προςεῖδε* pro *ὁ φοῖβος οὐ προςῳδά*, et in postremo *ἐξέκλασε* pro *ἐξέκλαξε* quod Wyttenbachius in *ἐξέκλησε* mutavit.

non solum Iovem apud se natum sed etiam Saturno antiquissimum templum a genere aureo exstructum ferebant Paus. V. 7, 4. quam fabulam tacite refellit Pindarus Ol. X. 60. pagum Cronium primum ab Hercule ita appellatum esse dicens. Sed pergam ad reliqua. In templo quodam Lebadeae prope Trophonii aedem condito Saturni statua erat dedicata; eidemque deo sacrificare solebant qui oraculum consulturi advenerant Paus. IX. 39. 4. Thebis Saturnalia addito certamine musico celebrata esse tradit Plutarchus de Poes. Hom. IV. 477. Cur autem Lycophron v. 204. aram Aulidis, ad quam Graeci de Troia evertenda coniuraverunt, *βωμὸν τοῦ προμάντιος Κρόνου* dixerit, antiquis interpretibus ita funditus ignotum fuit, ut mallent *Κρόνου* pro *Κρονίδου* accipere aut alia comminiscerentur perinde lubrica: *Τινὲς τοῦ Κρόνου ἀντὶ τοῦ Κρονίδου· τινές δέ φασιν ὅτι τὸ ἐν Δελφοῖς μαντεῖον πρότερον τοῦ Κρόνου ἦν, ἔνθα ἔλαβον τὸν χρησμόν.* Lapidem subditivum, quem Saturnus evomuit, Delphis positum fuisse memorat Hesiodus Theog. 499. et crediderunt periegetae Paus. X. 24. 5. sed oraculo praefuisse Saturnum nemo tradidit cf. Valcken. de rit. iuris iur. p. 38. T. I. Opusc. Lips. Hactenus de Graeciae veteris sacris Saturnalibus. Alexandrinos solitos esse Saturno panes consecrare cinericios et in templo dei publice, ut quisque quantum vellet, auferret, proponere Athenaeus refert L. III. p. 110. B. Macrobius Sat. I. 7. 235. *Aegyptii*, inquit, *neque Saturnum neque ipsum Serapim receperant in arcana templorum usque ad Alexandri Macedonis occasum, post quem tyrannide Ptolemaeorum pressi hos quoque deos in cultum recipere Alexandrinorum more, apud quos praecipue colebantur, coacti sunt.* Eutychius Annal. T. I. p. 300. e. vers. Pocockii: Cleopatram, quae Ptolemaeo Dionyso successit, templum dicit exstruxisse, quod Saturni templum appellaret, idque sub Christianismo in ecclesiam Sancti Michaelis conversum; de quo iterum loquitur p. 435. idolumque aeneum in templo fuisse dicit. Eandem Saturni religionem Aegyptiis Romae habitantibus tribuit Cyrillus c. Iul. VII. 245. D. *ἐν τοῖς τοῦ Κρόνου*

ναοῖς

ναοῖς γάμων ἐλευθέρων λῃσταὶ γεγονότες οἱ τεμενῖται πεφώρανται, θηρῶντος αὐτοῖς τὰς ὑβριζομένας τοῦ προσκυνουμένου —Γυνὴ παιδοτροφηθεῖσα σεμνῶς ἐκ παρθενικῶν ἐκαλεῖτο παστῶν ἐπὶ τὸ τῆς ἀσελγείας ἐργαστήριον χρῶντος, ὥς ἔφασαν αὐτοὶ, τοῦ θεοῦ etc. Verum haec est eadem historiola, quam Josephus Antiqq. XVIII, 4. et Ambrosius de Isidis sacerdotibus narrant, digna illa quae omnibus piarum fraudum admiratoribus identidem inculcetur: *Tiberio imperitante famosum ludibrium Paullinae spectatissimi generis feminae Romae percelebratum est — Tentata Mundi equestris militiae ducis interpellationibus vitio nimiae superstitionis patuit errori. Mundus namque subornatis Isidis sacerdotibus, qui velut Anubis ad eam mandata perferrent, quod eam ad templum invitaret etc.* de Excid. Hieros. L. II. c. 4. 689. T. VII. Bibl. Gall. — Postremo Cyrenaei, ut Macrobius dicit Sat. I. 7. 238. die festo Saturni ficis recentibus coronabantur, placentasque mutuo missitabant, deum praedicantes datorem mellis et fructum; ex quo ille colligit graecos quoque homines Saturnum culturae agrorum praefecisse. Id vero, nisi aliunde confirmatum fuerit, ex illo more nequaquam consequi Sapphonis de vespera verba docent, quae, ut sunt, numeris soluta subjiciam *Εσπερε πάντα φέρεις, φέρεις οἶνον, φέρεις αἶγα, φέρεις ματέρι παῖδα* Fragm. LXVIII. p. 78. quo loco quum pateat vespero ea accepta ferri, quae tempore vespertino fieri solent, perspicuum fit Saturnum frugum et fructuum datorem praedicari potuisse ob eam causam quod solemnia dei victus huiusce opportunitatem afferrent. Eoque argumento maxime adversus Buttmannum utor, qui quum ita statueret Saturuum non sationis esse deum, sed, ut Cicero interpretatur, eum qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret, a Plutarcho auctoritatem repetit, l. c. p. 32. deum illum a Romanis deum libertatis dici testantis Quaest. Rom. XII. ex quo colligit eum iam apud antiquissimos Romanos temporis, ut hodie loquimur, fuisse Symbolum omnia in lucem proferentis. Ecquaenam vero ratio est cur is qui omnia occulta promit, libertatis auctor per-

hibeatur? Apparet certe nullam esse; sed nomen illud Saturno imposuerunt Romani, quod solemnia eius omnibus, qui liberi non essent, libertatis usum afferrent [4]). Nec firmiora sunt reliqua argumenta quibus Mythologus nobis persuadere conatur tum Graecos Crono, tum Italos Saturno temporis notionem subiecisse, maxime praeteriti. Primum Euripidem antestatur in Heraclidis v. 900 (895) *αἴωνα* dicentem *Κρόνου παῖδα*; quo loco non dubium est quin *χρόνου* rescribendum sit, quod Victorius praebet; nam ut nemo negabit iam tum illa aetate homines acutulos Croni nomen ad *χρόνον* revocasse, tamen haec sapientia nondum ita pervulgata erat, ut poeta scenicus in praetereundo pro eo quod est *χρόνος* substituere posset *Κρόνος*, quasi utrumque apud omnes valeret idem. Illa vero lectio confirmatur aliorum poetarum usu, qui ubi tempori divinitatem dant, non *Κρόνον* nominant sed *χρόνον*, primum Pindarus Ol. II. 31. *χρόνος ὁ πάντων πατήρ* et in Fragm. CXXXIII. *ἄναξ τῶν πάντων ὑπερβάλλων χρόνος μακάρων*, deinde Sophocles El. 179. *χρόνος εὐμαρὴς θεός*,

---

4) De feriis servilibus Buttmannus sola Thessalorum Peloria memorat, quae sunt omnium notissimae; sed erant plures. Athenaeus X. 437. E. Dionysium Heracleotam narrat *συνεορτάζειν τοῖς οἰκέταις ἐν τῇ τῶν χοῶν ἑορτῇ*. Plutarchus in Parall. c. XXX. 429. T. VIII. Smyrnaeos dicit servae cuiusdam salutari consilio liberatos obsidione instituisse *'Ελευθέρια ἑορτήν ἐν ᾗ αἱ δοῦλαι τὸν κόσμον τῶν 'ελευθέρων φέρουσι*, quod Larcherus in bello adversus Gygen gesto coeptum putat ad Herod. L. I. not. 1. p. 201. De Clarotis Creticis Ephorus Athen. VI. 263. E. *τούτοις εἰσὶ νενομισμέναι τινὲς ἑορταὶ ἐν Κυδωνίᾳ, ἐν αἷς οὐκ εἰςίασιν εἰς τὴν πόλιν ἐλεύθεροι ἀλλ' οἱ δοῦλοι πάντων κρατοῦσι* etc. Proculus ad Hesiod. Opp. v. 366. *ἐν τοῖς Πιθοιγίοις οὔτε οἰκέτην οὔτε μισθωτὸν εἴργειν τῆς ἀπολαύσεως τοῦ οἴνου ἦν*, eoque spectat etiam notum proverbium: *Θύραζε, Κᾶρες, οὐκέτ' 'Ανθεστήρια*. Ergo nequaquam concedi potest Buttmanno p. 53. ex servorum Romanorum ludicris Saturnaliciis necessaria consequutione effici, ut Romani Saturnum perinde ut Cronum Graeci aureo seculo praefuisse crediderint, cuius notitiam poetae graece docti divulgasse videntur.

tum Euripides ipse Antiop. Fragm. XVI. (III.) p. 70. Matth. τὴν Δίκην λέγουσι παῖδ' εἶναι χρόνου, et in Suppl. 789. χρόνος παλαιὸς πατὴρ ἡμερῶν. Itaque etiam in Lentuli Gaetulici Epigr. VIII. Anall. T. II. p. 168.

Ω Κρόνε παντοίων θνητοῖς πανεπίσκοπε δαῖμον
ἄγγελος ἡμετέρων πᾶσι γενοῦ παθέων

praestare videtur quod Brodaeus edidit ὦ χρόνε. Praeterea Buttmannus nobis in memoriam revocat similitudinem nominum Κρόνος et χρόνος, quae non minor est inter verba diversissimae potestatis κραίνω et χραίνω, neque dubitat Saturnum ideo falciferum fingi et velato capite, ut intelligatur tempus cuncta metere quasi falce, eiusque partem futuram absconditam esse; illum vero *flammivomum draconem, caudae suae ultima devorantem*, quem deorum sator apud Martianum L. I. p. 19. dextra praetendit [5]),

---

5) Claudianus de Laud. Stilic. L. II. 424. *Est ignota procul nostroque impervia mundo vix adeunda diis annorum squalida mater immensa spelunca aevi, quae tempora vasta dat revocatque sinu — serpens caudam mordens circumdat — ante fores natura sedet — mansura verendus scribit intra senex, numeros qui dividit astris et cursus stabilesque moras.* Is est haud dubie Aeon, quem Iupiter alloquitur ap. Nonn. VII. 73. ἀενάων ἐτέων αὐτοσπόρε ποιμήν. Sed fata mundi Nonnus XII. 30. (ubi τετράζυγας ut v. 107. pro ἑτερόζυγας scribendum) a Phanete perscripta dicit; cuius mentio alia nobis in memoriam refert, quae libro nuper edito addi velim. Ad p. 437. not. c. Philammon Latonae et gemellorum γένεσιν δηλώσας ἐν μέλεσι dicitur Plutarch. de Mus. c. III. — P. 463. not. 9. Euripidis verba sic scribi volueram ξευγνὺς ἁρμοιίᾳ — P. 669. not. e. adde Stesichori Fragm. XCV. 134. *Μοῦσα χόρευσον κλείουσα θεῶν τε γάμους ἀνδρῶν τε δαῖτας.* — P. 618. v. 9. adde quod Orestes ap. Eur. El. v. 87. Delphis reversus dicit se Argos venisse ἐκ θεοῦ μυστηρίων. — P. 595. Fors cur invocata sit ab iis qui oraculum consulturi essent, intelligitur e Pythiae verbis Aesch. Eum. v. 32. ἴτων πάλῳ λαχόντες, et Platonis loco Legg. XII. 946. B. τῇ ἀγαθῇ μοίρᾳ καὶ τύχῃ ἐπιτρέψαντας κλήρῳ διελόντας etc. ubi nulla significatur dea Fortuna. — P. 622. inter Euripidis vers. 6 et 7. excidisse putabam versum tali sententia: τῶν ἁγνοτάτων τελετῶν ἐπέβην — P. 836.

silentio praetermittit, quanquam id paullo significantius erat temporis signum quam falx et velum.

---

similis Sophoclis sententia Fragm. Inc. XXXIV. p. 678. Br. *οὐ χρή ποτ' ἀνθρώπων μέγαν ὄλβον ἀποβλέψαι· τανυφλοίου γὰρ ἰσαμέριος ὅςτις αἰγείρου βιοτὰν ἀποβάλλει*, ubi *ὄζοις* scribendum [In Fragm. IV. Aiacis p. 588. *ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὸς εὐτυχοῦς τόπριν μάστιγ' ἐρείσῃ τοῦ βίου παλίντροπον*, scr. *πλάστιγγ'* — In Fr. Aegei IV. 591. *στρέφουσι κρήνης φύλλα χωρίτην ὄφιν* scr. *τρέφουσι κρήνης φύλακα*.] P. 927. not. pro *Xandames* scrib. *Xandrames* e Diod. XVII. 93. — P. 967 Agariste in somniis leonem sibi parere visa peperit Periclem Plut. Per. c. III. Aristid. Or. Pl. II. 143. de Persei matre Eur. Dan. Prol. v. 15. *ὑπόπτερον λέοντα τέξεται πατρί.* De draconis et aquilae augurio vid. Liban. T. III. 338. — P. 989. not. e. nomen *Εὔκριτος* e primo Idyllii versu sumtum. — P. 1015. not. add. Aristot. Eth. Nic. VII. 17. 318. Zell. *ἐν τοῖς Σκυθῶν βασιλεῦσιν ἡ μαλακία διὰ γένους.*
